



**R. P. Sebastiani Izquierdo Alcarazensis Societ. Iesv Regii  
Senatvs S. Inqvisitionis Hispaniarvm Qualificatoris, Et  
Olim Complvti Sacræ Theologiæ Professoris. Opvs  
Theologicvm, Iuxta atque ...**

Vbi De Essentia Et Attribvtis Divinis Vbertim Disseritvr ...

**Izquierdo, Sebastián**

**Romae, 1664**

Quæstio 1. Quid sit Deus; quidve sub nomine isto veniat intelligendum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76990](#)

# TRACTATVS I.

## DE ESSENTIA,

ET EXISTENTIA DEI, DEQVE EIVS  
cognoscibilitate abstractiua, seu per alienas  
species. Atque adeò de Attributis  
Dei in communi.



D materiam huius Tractatus (qui iuxta dicta in Præfatione iure præcedit cæteros) generatim est supponenda tota doctrina data à nobis in Pharo Scientiarum de cognitione humana, de obiecto que humanus cognoscibili vniuersè. Speciatim autem doctrina tradita etiam ibi disp. 8. & 9. de Actu obiectiuo in vniuersum. De enteque essentia, & existentia. Atque de opposito non ente. Quare duabus ille disputationibus absoluetur. Alterà de essentia, & existentia Dei, deque eius cognoscibilitate abstractiua. Alterà de Attributis Dei in communi. In quibus subinde sèpe specialius ad loca dicta, quatenus opus fuerit, nos referemus.



### DISPVVTATIO PRIMA.

De Essentia, & Existentia Dei. Deque eius cognoscibilitate abstractiua,  
seu per alienas species.

**Q**Via in multis disputationibus huius Operis, potissimum vero in primâ hâc, & in secundâ subsequente Deus non solum secundum, sed etiam prou à nobis viatoribus cognoscibilis considerandus est; de eius cognoscibilitate abstractiua, seu per alienas species, per quas à nobis pro præsenti statu cognoscitur, imprimis oportet quadam statuere. Quod in præsenti disputatione yna cum cæteris in eâ tradendis præstabisimus.

### QVÆSTIO I.

*Quid sit Deus; quid ve sub nomine isto veniat intelligendum.*

**M**VLti hanc questionem prætermittunt, quod censeant, Deum ob suam simplicitatem, & infinitudinem nec definibilem esse, nec verbis à nobis explicabilem, quoad quid est. Id quod supponit S. Th. 1. par. quæst. 3. in præludio questionis, dum ait, *De Deo scire non possumus quid sit.* Imo exprimunt Patres communiter. August. enim tom. 9. lib. de cognitione vera vita, cap. 7. initio sic habet, *Summus spiritus, sicut à nullo intellectu valet propriè cogitari, sic nulla definitione poterit propriè definiri, vel determinari.* Nazianz. orat. 49., qua est de fide, ait, *Deus qualis sit, nec mente concipi, nec animo definiri potest.*

Damasc.lib. 1. fid. cap. 2. dicit, *Quid Dei essentia sit, nec scimus, nec dicere possumus.* Et cap. 4. *Quid Deus sit, liquidè constat: quid autem ratione essentia, naturæ que sit, nullo modo cognosci potest.* In eadem sententia sunt S. Dionys. de mystica Theologia, & cap. 7. de diuinis nominibus. Chrysostom. 5. homil. 1. & 2. de incomprehensibili Dei natura. Clemens Alex. 6. Strom. pag. vlt. Euthym. in Panopolia, tit. 4. & 5. Cyprian. in Prolog. de Cardin. Christi operibus. Iustini. mart. in exposit. fid. sub med. & alij. Cuius ratio à priori videtur esse: quia, cum Deus non ponatur in prædicamento, nec constet genere, & differentia, ut communiter docent Theol. cum S. Th. 1. par. quæst. 3. artic. 5. & lib. 1. contra Gent. cap. 25. & de potentia quæst. 7. artic. 3. definitionem quiditatiuum habere non potest; cum hâc, ut logicis est notum, ex genere constet, & differentia rei definitæ.

Cæterum, quamquam verum sit, Deum à nobis in hac vita mortali non posse quiditatib[us] cognosci proprio conceptu, nendum quiditatib[us] explicari, sicuti est in se: quia solum possumus eius quiditatem rimari per speculum, & in ænigmate 1. ad Chorinth. 13. quod potissimum intendunt Patres locis commemoratis. Quamquam etiam Deus proprio genere, & differentia non constet, propriaque subinde definitione genere, & differentia constante à nobis definiri non valeat; de quo tractandum inferius disp. 11. Attamen negari non potest, Deum aliquali definitionis, seu descriptionis genere optimè posse à nobis pro hoc statu definiri, seu explicari; uti supponunt August. & Iustin. locis citatis. Imo multo melius, quam definimus, & explicamus res alias creatas, quarum scientiam comparare, studemus: quoniam maiorem, euidentiorēque notitiam habemus attributorum, seu proprietatum Dei, quam plurium creaturarum: & certum est per proprietates, alioquin notas, vnius cuiusque rei essentiam notescere, à nobisque de-

A fini-

# Tractatus I. De Deo uno.

finiri, sive explicari pro hoc statu, ut pluribus declarauimus in Pharo Scient. disp. 27. Neque opus est, quod huiuscmodi definitiones, seu descriptions adhuc, ut perspicue manifestent rem definitam, constent proprio genere, & differentia; cum possint manifestissime illam notificare per id, quod solum est aequivalens generi, & differentiae: imo per solam rei proprietatem absque ullo genere proprio, aut aequivalente, ut loco citato docuimus, & exemplis probauimus.

4 Accedit, quod ynum, imo pricipium ex principijs in fronte cuiusque scientie humanae ponendum, seu supponendum aliquas definitiones, seu explicatio subiecti eiusdem scientie est. Quare, quoties de aliquo subiecto scientia contexenda suscipitur, ante omnia, quidam illud sit, querendum, & explicantum est, quā ratione nos expoſitum in dicta Pharo disp. 19. quaſt. 8. Cū igitur in praesentiarum scientiam de Deo nostro aggrediantur, aliqua conceptus obiectui eius definitio, seu explicatio ineuitabiliter prorsus debet præmitti. De quo plura dicemus infuper quaſt. 3.

5 Igitur Deus pro nunc sic potest definiri, seu describi: *Deus est ens quoddam sublime, increatum, à quo cætera cuncta entia, tanquam à suo fontali principio, trahunt originem, & habent esse.* Talis enim est haud dubie conceptus, quem homines vulgo de Deo statim, auditio eius nomine, formare solent, ut pote reliquis fortasse notior, qui per alia Dei attributa concipi possunt. Quisnam autem conceptus Dei essentia eius censi debeat, ut definitio per illum data, sive illum immediatè declarans quiditaria, & essentiaſis putari possit, quaſt. 10. examinabitur.

## QUÆSTIO II.

*An sit Deus.*

6 **O**MNIA primi, qui Deum esse negarunt, atque ideo Atheti, sive Atheistæ, quasi sine Deo, dicti sunt, fuerunt Diagoras, Milesius, Theodorus Cyrenaicus, Euemerus, Tegeates, & alijs post Protagoram id ipsum in dubium vocantem, ut testatur Cic. lib. 2. de natura Deorum, Plutarchus lib. 2. de placitis Philosophorum cap. 7. Laclan. lib. 1. diuinarum institutionum cap. 2. & lib. de Ira Dei cap. 9. Euseb. lib. 4. de preparat. Euang. cap. 6. August. lib. 3. contra litter. Periliani cap. 21. & Theodoret. lib. 2. & 3. Græcanic, affection. De quo plura eruditæ, ut assolet, noster Raynaudus in sua Theologia naturali distinct. 5. quaſt. 1. artic. 8. Tales etiam nostro tempore sunt multi Pseudopolitici, qui, omni internâ fide, cultu, & religione Dei abiecta, si quam pietatis, aut religionis simulacrum retinent speciem, eam ad externam, politicamque gubernationem dumtaxat referunt. Ut videre est apud Lindanum, in suo Dubitatio, & apud Stanislaum Recium, lib. 1. de Atheismis Euangelic. cap. 20. Qui quidem Pseudopolitici, animam in primis, sibi persuadent, sicut cum corpore interire; indeque proni in Atheismum aut prorsus negant, esse Deum, aut eius relegant prouidentiam. In tale barathrum deturbat miseris homines viatorum, & hæresum procella. Videatur Praeol. lib. 1. hæres. 77. & noster Recipit. lib. 1.

de Deo quaſt. 8. cap. 2. Apud quos de his plura.

### Propositio Vnica.

**Certissimum est, esse Deum.**

**I**d namque imprimis est articulus fidei sa- pissime traditus, aut suppositus in sacris litteris Exod. 3. *Ego sum qui sum.* Et, *Qui est misit me ad vos.* Quibus Deus afferitur esse, qui existit. Vide in huic locum Pererium nostrum disput. 12. & 13. Ad Hæbre. 11. *Credere enim oportet acceden- tem ad Deum, quia est, & inquirentibus se remune- raverit, &c.*

Deinde hæc veritas adeò ipso est rationis 8 lumine perspecta, ut eius aperta notitia quasi congenera naturæ, ipsique indita videatur. Testatur id communiter Patres. Accipe eorum aliquot testimonia. Nazianzorat. 2. de Theol. ait: *Ratio illa diuinitas omnibus insita, ac primùm in pectoribus nostris condita, cumisque mortalibus in- neat nos ab his rebus, que oculis cernuntur, ad Deum subexit.* Arnol. lib. 1. aduersus Gent. paulo ante medium: *Quisquam ne, inquit, est hominum, qui non cum iſius Principis notione diem primæ na- turitatis intrauerit. Cui non sit ingenitum, non affixum, imo ipsis pend in genitalibus matris non impressum, non insitum, esse Regem, ac Dominum, cundorum, quecumque sunt, moderatores?* Nys. lib. de Beatitud. ad illam, *Beati misericordes, &c.* Opinio, inquit, de *Nomine diuino naturaliter quidem insita est omnibus hominibus.* Hieron. in illud Iob 36. *Omnes homines vident eum, ait, Per na- ture bonum notitia Creatoris insit cordibus homi- num.* Chrysost. homil. 3. in cap. 1. ad Rom. aliquanto post principium sic habet: *Cognitionem sui Deus hominibus iam inde ab initio indidit.* Da- masc. lib. 1. fid. cap. 1. ait: *Nemo est mortaliū, cui non hoc adeò naturaliter insitum sit, ut Deum esse, perspectum habeat.* Quin ipse quoque res condite, earumque conservatio, atque gubernatio diu- na natura maiestetem predican. Theophil. explicans illud ad Rom. 1. *Quia, quod notum est Dei, manifestum est illis, &c.* ait, *Veritas, sive, quæ de Deo est, cognitione mortalibus ab initio est insita.* Ter- tul. lib. de spectacul. cap. 2. post principium, *Nemo, inquit, negat; quia nemo ignorat, quod ultra natura suggestum; Deus esse uniuersitatis condi- torem.* Pariterque pasim loquuntur reliqui Pa- tres. Quorum plura testimonia referunt Fasol. 1. par. quaſt. 3. artic. 2. dub. 2. Vazq. disp. 19. cap. 1. Granad. controu. 1. tract. 1. disp. 1. Arrub. disp. 9. cap. 1. Tanner. disp. 2. quaſt. 1. dub. 3. Gill. lib. 1. tract. 8. cap. 1. & seqq. & alij.

Testatur id ipsum ipsa praxis omnium na- tionum Mundi. Nulla enim vñquam tam barba- ra fuit, supra quam signatum non fuerit ali- quod diuinitatis lumen. Ob id dicebat Epicurus apud Cicer. lib. 1. de natura Deorum: *Gentes om- nes perceptionem quandam (quam ipse prolepsim- vocat) habere, quod Deus sit, naturaliter hominum animis sine lege, sine more, sine instituto, aut sine do-ctrina insertam.* Vide plura huiusmodi testi- monia Ethnicon, quæ congerit ad rem Eugu- bin. lib. 1. 2. & 6. de perenni Philosophia. Ut mi- rum profecto fuerit, extiisse vñquam aliquem hominem adeò insipientem, ut dixerit in corde suo, non est Deus, iuxta Prophetam psalm. 13. Quisquis autem id dixit, in corde dixit: quia- vt notat August. ibi, tam vecordem insaniam- mente